

Larius enim lacus, qui hodie Comensis cognominatur, Agonos educat exiguos ac magis populares, Sardis similes, dempto quod ventre sunt latiore: neque alio quam Mediolanum transferuntur, aut saltem raro Mantuam praetergrediuntur. Eos doliis muria conditos adservant, quanquam etiam mediocriter sicci sine muria comperiantur. Verbanus lacus, quem lacum majorem cognominant, multo majores Agonos quam Larius educat. Indigenae urbium, quae ad ejus littus sitae sunt, Aronan, Palencza, Cornobio, Locaria et Eugudrae vocatos pisciculos magno proventu capiunt, media magnitudine inter Larios et eos ex lacu Lugarae, quos Indigenae urbium nominant *Campignon* et *Buiffon*. Benacus autem Lacus magnitudine insignes Agonos profert. Sed nec Urbani aut Benaci Agoni muria condiri solent, ut minores. Haec ille; et mox rursus de Saracho. Duo, inquit, tresve lacus sunt in Epiro, in quibus Sarachi capiuntur, quos ubi sale condierint, exiccaverint, et fumo infecerint, Venetias, Anconam et alio navigiis transvehunt. Quorum eos maxime in pretio habere solent, quos de la Bojane hujus nominis flumine ac lacu cognominant. Horum vero duo comperiuntur *genera*, alterum minus, alterum autem Clupeae fere magnitudinis. Minores Sarachi quadrante longiores non sunt, majores pedalem implent longitudinem. Ambo eadem linea sub ventre praediti sunt, qua Clupea insignita est. Caeterum Agoni omnes (inquit idem Bellonius) *squammas* habent levi contactu decidentes, tenues, latas et transparentes: corpora argenteo colore nientia, sed parum nigricant in tergo. *Desquammati* super argentum terfissimum refulgent. Oris rictum habent grandiusculum sine *dentibus*: pinnam in tergo simplicem, parvam, duas in lateribus sub branchiis, quarum omnium exterius tegumentum spineum in medio crenatum est. Oculos valde grandes proferunt, caudam in penicilli modum discissam. Utrunque nonnunquam lituris duabus, rotundis, ac nigris, interdum pluribus fugillatur in tergo. *Lineam* sub ventre

habent ferratam, ad anum desinentem, quam si digito in adversum confrices, cultri modo acutam percipias. *Branchias* habent utrinque quatuor, interna parte veluti fimbriatas, quod etiam Harengis, Celerinis et id genus piscibus accidit. *Cor* ut semen Cicerulae trigonum inter anteriores pinnae sub branchiis occultatum. *Hepar* subrubrum sinistro stomachi lateri et oesophago incubans, ipsumque pylorum amplectens. *Stomachi* figura in conum turbinatur, a cujus superiore parte pylorus exit, multis apophysis coecis ac circumdatur. *Lien* dextrae Stomachi parti inhaeret ruber, a pyloro intestinum non reflectitur, sed recta ad anum tendit. Triginta sub ventre *ossicula* acuta, asperam in hoc pisce lineam constituentia, connumerare potes. Haec omnia itaque Bellonius, quibus addi potest, Hosce pisces ita pinguescere, referente Rondeletio, ut cum in craticula assantur, pinguitudo veluti oleum distillet, adeo ut ab hac pinguedine, sint qui *Liparim* appellent. *Carnivori* sunt, et pulices aquaticos venantur. De *generatione* prodit Salvianus, Acones foeminas ovis gravidas, maribus semine refertis consequentibus, ad saxosa litora Majo mense adnatate, ibique illas parere sua ova, hos suo semine foecundare, moxque pusillos inde procreari pisciculos, qui intra paucos dies ad digiti augeantur magnitudinem, tuncque vulgo *Antefitos* vocari. Aqua exempti mox *emoriuntur*. Gregatim *vivunt*, et temere in retia incidunt. Adeo sunt *timidi*, ut vel a tremula umbra terreantur. A Lucii, Cyprinis et Truttis adeo sibi metuunt, ut aliquot aliquando millia, insequentem inimicum longo per lacum tractu pavidi fugiant, jucundo intuentibus spectaculo. Alofis sapore perfimiles, vere graciles, autumnio optimos Jovius facit. Salviano Julio, Augusto, Septembri et Octobri mensibus probantur. Crassiusculum tamen succum gignunt, difficulter concoquuntur, et mediocriter nutriunt. Cum salendi causa exenterantur, *oleum* ex interaneis ad lucernarum usum colligitur.